

DISPVATIO THEOLOGICA  
DE  
**SACRIFICIO LAVDIS**  
CONFessione NOMINIS - CHRISTI  
PERFICIENDO

EX HOS. XIV. 3. ET HEBR. XIII. 15.

QVAM

*ALVMI REGIO-ELECTORALES*

PRAESES

DN. M. GOTTLOB HENRICVS RICHTER

WITTEBERGENSIS FACVLTATIS PHIL. ADI.

RESPONDENS

DN. IOHANNES PHILIPPVS BECKER

ADORFIO-VARISCVS

OPPONENTES

DN. M. IOHANNES GODOFREDVS HAASE

GOERLIZENSIS

DN. DANIEL GOTTLOB GLVCK

LICHTENTANNA-VARISCVS

DIE XIII. MAII MDCCXLVII. HORA VIII-X.

IN AVDITORIO EPHORI

VT HABEANT

*ET HONORATISSIMI DOMINI AVDITORES*

FREQVENTENT, EOS HVMANISSIME

INVITAT

**CHRISTIANVS FRID. BAVER**

S. S. TH. D. P. P. O. ET AL. EPH.

WITTEBERGAE, LITTERIS E. G. EICHSFELDI, ACAD. TYP.

Exeg.  
B.

2760,36

v. J.  
in Hoseam  
534

DEPARTMENT THEOLOGICAL

SACRIFICIO LAUDIS

CONFESSIONE HOMINIS CHRISTI  
PERFECTO

EX HOC LIBRO ET HOC LIBRO

QUAM

NEWMA LUDWIG RECTOR VES

DR. GOTTLOB HENRICH RICHTER

DR. JOHANNES HENRICH RECHER

DR. MAURITZ GIBBERTUS HASSE

DR. DANIEL GOTTFRIED GLUCK

DIE KUNST MALIENKUNDE VON A. VILK

IN AMSTERDAM ERHOLD

ET HONORATISSIMO DOMINO ANTONIO

CHRISTIANUS FRID. BAYER

DR. J. H. W. R. O. DE AL. BRIL

VITTEBERGA, LITTEBIS F. G. EICHENBERG, ACAD. P. R.

AD CONFERENDA LOCA  
HOS. XIV. 3. ET HEBR. XIII. 15.

## §. I.



sacrificium laudis, quod dilecto mundo eique dato Dei filio, ab omnibus Christianis perpetuo offerendum est, bene Paulus exposuit per confessionem nominis Iesu, qui nos suo sanguine sanctificavit. Verba quae huc spectant digna sunt, ut accuratiori meditatione pertractentur, et in epistola ad Hebraeos sequentis sunt tenoris. Hebr. XIII.

15. Δι' αὐτῆς, ἣν ἀναφέρωμεν θυσίαν αἰνέσεως διὰ παντός τῷ Θεῷ, τρεῖσι καρπὸν χειλέων ὁμολογούντων τῷ ὀνόματι αὐτῆς. *Eius ergo causa* (i. e. propter Iesum, qui, ut sanctificaret per suum sanguinem populum, extra portam passus est ex v. 12.) *offeramus hostiam laudis semper Deo, id est fructum labiorum confidentium nomini eius.* Quae sit cohaerentia textus et conceptuum, inter hostiam laudis & confessionem nominis Iesu, nemo facile intelliget, nisi sacris litteris et antiquitatibus imbutus sciat, quid in V. T. fuit sacrificium laudis, quibus de causis, qua sanctimonia, qua confessione oblatum fuit? cur itaque Paulus ad offerendam laudis hostiam admonet. Deinde dictum Hoseae, quod Paulus respexit, etiam accuratiori sciendi peruestigatione comprehendendum est, Agit de conversione Iudaeorum ad Deum Messiam, qui tollet cuiusvis iniquitatem. Cuius vero remittet iniquitatem, ab eo accipiendus est ut BONVS. Verba כֹּבֶד־קַיִל *et accipe bonum*, docent Christum vera fide recipiendum, et confessione boni nominis Iesu, perficiendos esse iuencos laudis, seu fructus labiorum confidentium nomini eius. Clariora haec omnia euadent, ex inspectione textus originalis, eiusque ad accentus adornata dispositione.

Hof. XIV. 3.

Conuer- sio Iudae- orum ad Iesum Christum fiat	con- si- deran- do	quae discant ex Hosea dicenda et facien- da	קָחוּ עִמָּכֶם Accipite cum	vobis- cum
et sub deuotis pre- cibus	וְאָמְרוּ אֵלָיו Dicite ad eum:			
		et pro- posi- tum ca- piendo	ut consilium Dei sequan- tur	si remittes peccata, o Iesu recipien- dus es pro BONO
ut spiritua- lia offerant sacrificia,	ut perficiant hosti- as laudis confessione nomi- nis et bonitatis Messiae			

§. II.

Textu originali sic fundamenti loco posito, eo facilius doce-  
ri poterit, cur Apostolus Paulus confessionem nominis Ie-  
su, qui nos suo sanguine sanctificauit, habeat pro sacrificio lau-  
dis, Deo iugiter offerendo. Ut autem ordo seruetur, nec di-  
cendorum multitudine obruamur, laborem nostrum in tres di-  
uidemus partes. *Primo* quid sit laus, quid sacrificium laudis  
in V. T. et quid in N. T. importet, considerabimus. *Deinde*  
dictum Pauli, de offerenda laudis hostia, ex textus cohaeren-  
tia illustrabimus. *Tandem* etiam, quae ad probandam prophe-  
riae Hoseae datam explicationem pertinent, communicabimus.  
Faxit Deus feliciter!

§. III.

§. III.

**L**aus est debitum de praestantia rei, exhibendum veritatis testimonium, quo virtutum et perfectionum celebramus magnitudinem, et quum sit tributum, quod omnibus rebus praeclaris sponte soluendum est, nec illud nomini Messiae dene-gandum est. Confutit ergo laus Christi, in confessione suae bonitatis, si cum Assapho dicimus: Ps. LXXIII. 1. אֲדָבָר טוֹב לַיהוָה לְיִשְׂרָאֵל אֱלֹהִים לְבָרִי לִבָּב: *Profecto bonus est, qui Israeli est Deus, bonus est puris corde.* A quo Dauides sibi expetiit Ps. XXI. 4. בְּרִכּוֹת טוֹב *benedictiones boni.* Non enim ob diuinas tantum perfectiones, sed quam maxime etiam ob bonitatem suam et misericordiam, ob opera creationis et redemptionis laudandus et confitendus est Dominus Ps. CXVII. 1. *Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in aeternum misericordia eius.* Pertinet huc locus ex Iohanne, quo diuersa de Iesu iudicia describit. Ioh. XVII. 12. *Et murmur multum de eo erat inter turbas. Hi quidem dicebant: quod bonus sit. Alii vero dicebant: Non, sed seducit turbam.* Hic, oppositio obseruetur, inter verum Messiam qui *bonus* vocatur, et seductorem populi. De emphasi appellationis *ἀγαθός* notabilis etiam occurrit locus Rom. V. 7. vbi distinguitur inter *δικαίον* et *ἀγαθόν*: *Vix enim pro iusto aliquis moritur, pro bono forsitan.* Amplificat Christi affectum, ex quo moritur pro nobis peccatoribus et hostibus suis, a comparatis, quod nihil simile, in humana historia reperiri et cogitari possit: Vix reperias qui *iusti* viri causa, vitae discrimen adire, eiusque salutem morte sua redimere velit; forte exemplum huius reperias, quod pro *bono* viro aliquis vitam profuderit eius tuendi vel seruandi causa. VITRINGA de synagoga vetere apposite scripsit pag. 799. *Commendat autem suam erga nos cbaritatem Deus, quod cum nos adhuc essemus peccatores, Christus pro nobis mortuus sit. Egregia vis orationis. Distinguit Paulus omnes quotquot sunt homines, in tres classes PECCATORES, IUSTOS et BONOS. PECCATORES quidem vocat, qui vita moribusque suis limites legis diuinae transgrediuntur; IUSTOS, qui legem sibi praescriptam praestant aequitatis quoque ratione non penitus neglecta; BONOS ve-*

ro qui aliis benefaciunt longe ultra legis scriptae aut communis etiam aequitatis dictata et regulas. Eadem ergo notatione sumit Hoseas Imperatium *קַח-טוֹב* *recipe bonum* qua accipiendum esse, Christus docuit, respondens interroganti principi *ἀγαθῷ* Luc. XVIII. 18. *Magister bone, quid faciendo vitam aeternam possidebo* 19. *Cui Iesus dixit: Cur me dicis bonum? nemo bonus, nisi unus, nempe Deus.* Ergo aut me pro Deo, pro bono Messia habeas, aut hypocrisin tuis subesse verbis agnoscas. Haec responsio Christi idem dicit, quod Hoseas praecepit, *קַח-טוֹב* *recipe bonum*, *recipe eum* qui per salutis verae oblationem et donationem se ut perfecte bonum probat.

## §. IV.

Nullum autem sacrificium in V. T. oblatum, Deo placere potuit sine fide in bonitatem Messiae. Hæc est veritas quam scriptura sacra docet: Hebr: XI. 4 *Abel per fidem, maioris pretii sacrificium obtulit Deo, quam Cain, et versu 6. Atqui fieri non potest, ut absque fide quisquam Deo sit gratus.* Pro certo igitur habeamus, quod omnia fidelium V. T. sacrificia diuinitus instituta, Deo non placuerunt, nisi offerentes fide ad promissum Messiam respexerunt eiusque bonitatem apprehenderunt, cuius sacrificium praefigurabant. Nec ratio humana ullam inueniet proportionem, inter Deum spirituale, in spiritu colendum, et inter sacrificia carnalia; inter Deum summe misericordem et inter cruentam victimarum mactationem, nisi ex scriptura discat, et credat, Deum sacrificia in typum, vnici sacrificii propitiatorii Messiae in ara crucis offerendi, ordinasse, ad facilitandam fidelium in Iesum crucifixum fidem. Sacrificia nullum sunt inuentum humanum, nec homines ipsam de Messia promissionem suo arbitrio excogitarunt, quod contra modernos veritatis Christianae obtrectatores diligenter obseruari velim. Quomodo rationalis homo sacrificium, Dei placandi causa cogitet, cum ipsi constet, quod poeta ait:

*Non boue mactato coelestia Numina gaudent  
Sed, quae praestanda est, et sine teste, fide.*

Item: *Cum sis ipse nocens moritur cur victima pro te?*  
Origo sacrificiorum, quae Patriarchae obtulerunt ex diuina institutione-

stitutione deriuanda est. Nisi diuina reuelatio, modum, gratiam Numinis impetrandi, docuisset, et fideles per sacrificia ad bonitatem Messiae cogitandam adduxisset, qui pro expiandis vitiis hominum se in vicariam mortem oblaturus esset, ratio humana hæc omnia ignorasset, ex eaque nihil nobis innotuisset. Aut sacrificium Christi propitiatorium typis adumbrandum nobis admittendum est, aut nulla patet causa instituti cultus Leuitici. Nisi tempore V. T. Dominus sacrificiis fuisset colendus Deus, nec sacerdotibus, nec tabernaculo, nec reliquo legum ceremonialium adparatu opus fuisset.

## §. V

Progredior vero ad *sacrificium laudis*, et quidem V. T. vt breuiter exponam, quomodo se istae habuerunt hostiae, quas vocarunt זְבַח תּוֹדָה *sacrificia laudis seu confessionis*? Variæ erant species sacrificiorum, quas docte enarrauit b. GERHARDVS in LL. Theol. Tom. III. 250-260. Sed ibi זְבַח תּוֹדָה plane omissum est. Puto nullam aliam subesse causam, quam quod existimauit cum b. LUTHERO, quod hoc sacrificium plane concidat cum זְבַח שְׁלָמִים *sacrificio pacificorum*. Quare etiam Reu. MELHORNIVS Tom. V. extractum ex optimis disputationibus p. 105 ad LUTHERVM prouocat, et pro vno eodemque sacrificio habet, sequentibus verbis. Leu. VII. 11-34. Es wird hierbey zugleich der Lob-Opfer gedacht, welche von denen Danckopfern nicht unterschieden gewesen. Lutherus schreibt: Diese zwey Lob- und Danck-Opfer sind in ein Opfer gerechnet. Danck-Opfer heissen, wenn sie Schaaf und Ochsen geschlachtet haben. Lob-Opfer wenn sie Speiß-Opfer nehmlich Kuchen, Gladen, dazu gethan haben, und nennet also eins das andere, daß es heist Fleisch des Lob-Opfers, das ist neben dem Lob-Opfer it: Lob-Opfer des Danckopfers. Propterea etiam in versione Germanica indistincte, tam זְבַח שְׁלָמִים quam זְבַח תּוֹדָה mox per sacrificium pacificorum ein Danck-Opfer, mox per sacrificium laudis ein Lob-Opfer vertuntur. Sed hoc assertum non tam firmo stat fundamento, vt nulla a nobis e textu sacro formari possit oppositio. Nam זְבַח תּוֹדָה et זְבַח שְׁלָמִים quae distincta gerunt nomina, et quorum distincta fit mentio, pro diuersis etiam haberi possunt sacrificiorum speciebus. De Manasse legimus,

gimus,

gimus, quod ex captiuitate liberatus, in altari Domini, obtulit, sacrificia pacifica, et laudis 2 Chron. XXXIII. 16 **וַיִּזְבֹּחַ עָלָיו** וְהוֹדָה **זִבְחֵי שְׁלָמִים** LXX καὶ ἐθυσλασεν ἐπὶ αὐτὸ θυσίαν σωτη-  
 ρεὶα καὶ ἀνέσσεως. Deinde non dici potest, quod sacrificium lau-  
 dis tantum fuisset sacrificium cibarium, nam extat expressa lex  
 de carne sacrificii laudis, die oblationis comedenda, nec in cra-  
 stinum relinquenda Leu. XXII 29 30 *Et cum sacrificabitis sa-  
 crificium laudis, sic, vt accepti sitis, sacrificabitis, eodem die come-  
 datur, nec relinquatis ex eo usque ad mane.* David Kimchi do-  
 cet, quod sacrificium laudis non habuit ritum hostiae peccati  
 et delicti, sed ritum pacificorum. Exinde sequitur quod sa-  
 crificium laudis eundem quidem ritum habuit, cum pacificis,  
 non vero quod plane vnum idemque fuisset sacrificium. Nam  
 sacrificia varii fuerunt generis et modi. Alia, tota sunt consum-  
 ta in altari, excepta pelle, vt holocaustum. Aliorum consumta  
 fuit pars ab altari, pars a sacerdotibus, vt hostia pro peccato.  
 Aliorum pars arae, pars sacerdotibus, pars offerentibus cessit,  
 quales fuerunt hostiae pacificae. Ritus sacrificii **זִבְחֵי שְׁלָמִים**  
 describuntur Leu. VII. et X. Nimirum offerendum erat pro  
 pace et salute diuinitus iam collata, vel etiam consequenda, a-  
 nimal mundum, cuius adeps solum cremabatur, pectus & ar-  
 mus cedebant sacerdoti, reliquae carnes comedebantur a priva-  
 tis nulla immunditie Leuitica contaminatis. Si sacrificium pa-  
 cificorum cum nullo voto coniunctum erat, eodem die absolven-  
 dum erat epulum sacrificiale, sin erat voti spontanei pro pace  
 et salute consequenda, protrahi poterat in diem secundum, quic-  
 quid die tertio supererat, igni comburebatur. Hi ritus multas v-  
 tiles praebuerunt commonefactiones. Gratae mentis significa-  
 tio non differenda sed cito praestanda est; in nuncupandis au-  
 tem votis maiori circumspectione opus est. Adeps cremari iur-  
 betur, vt significetur, concupiscentias carnales igne spiritus  
 sancti mortificandas esse. Sic pectus et armus dexter dabatur  
 sacerdotibus ad significandum, quod ministro ecclesiae neces-  
 saria sit sapientia cordis, ad instituendum populum, & fortitu-  
 do, ad tolerandas iniurias. Cum hoc sacrificio pacificorum,  
 quoad ritus conuenit **זִבְחֵי הוֹדָה** θυσία ἀνέσσεως sacrificium lau-  
 dis, vt patet ex Leu. XXII. 29 30. et differentia in eo sita fu-  
 it,



it, quod in sacrificio laudis, Dominus pro sua bonitate et gratia celebrandus fuit, quemadmodum in pacificorum sacrificio, pro accepta pace et salute agebantur gratiae, et pro accipienda nuncupabantur vota. Non multum differunt. *Laus* respicit proprie attributa divina, *gratiarum actio*, proprie beneficia, per vtrumque confessionem edimus de bonitate Dei. Quod vero haec confessio maxime necessarium fuit requisitum, in sacrificio laudis V. T. probo ex Ps. CVII. 21. *Confitebuntur Domino misericordiam eius, et mirabilia eius filii hominum 22 et sacrificent sacrificia laudis, et enarrent opera eius cum iubilo.*

## §. VI.

Sufficiant haec de sacrificio laudis V. T. succedat quaestio, quid sit sacrificium laudis in N. T.? Respondeo, est cultus spiritualis et eucharisticus Christianorum, qui missis sacrificiis carnalibus, bonitatem Messiae suis labiis confitentur. Non ob diuinas tantum perfectiones, sed quam maxime etiam, ob opera creationis et redemptionis, laudandus est Dominus. Per sacrificium laudis N. T. quod tantummodo est fructus labiorum confitentium Domino, intelligitur debitum confessionis exercitium, quo Dominum adorantes perfectiones et attributa eius non solum fatemur, sed debitas etiam pro bonitate et beneficiis Messiae agimus gratias. Hoc sacrificium laudis peragitur cogitationibus, sermonibus, et operibus, quibus misericordiam et bonitatem Christi profiteamur et honoramus. Hoc sacrificium laudis N. T. perpetuo offerendum est, nec abrogatur, ut cessauit V. T. sacrificium. *Διὰ παντός* per omne tempus durare nec cessare debet. Quod vero sacrificia laudis V. T. cessare debuerunt, et quod Pauli tempore Christianis fugienda fuit communio altaris, cuius hostias laudis et iuuenos comedebat Israel secundum carnem, id probabo ex cohaerentia textus tam Pauli, quam Hoseae.

## VII.

Argumentum Pauli Hebr: XIII. a versu 10-15 bene se habet, quamuis CLERICVS in notis suis ad HAMMONDI N. T. p. 496 pro apodictico haberi nolit sed scribat. *Est ratiocinatio, qua proprie nihil probatur apud dissentientes, sed qua illustratur tantum doctrina Christiana more Iudaico.* Series orationis non est obscurior, sed ab iis, qui necessariis ad intelli-

B

gen-

gendumrequisitis instructi sunt, perspici potest. Contra falsos Apostolos, qui Iudaismum cum Christianismo vnire conabantur, et de cultus Leuitici sacrificiis adhuc vesci volebant, Paulus sequenti vtitur argumento apodictico Ebr. XIII. 10. *Habemus altare, ex quo non habent ius edendi, qui tabernaculo deseruiunt.* Hoc est: De iure, Iudaeus non potest sacra coena Christianorum, vti, nec Christianus sacrificia offerre Leuitica, vt hostias comedat cum Israele secundum carnem, et sit in comunione altaris Leuitici. *Habemus altare.* Per altare Paulus intelligit, vel mensam Dominicam, ex qua communicantes Christi corpus et sanguinem sumserunt; vel per Synecdochen continentis pro contento, victimam i. e. Christum in ara crucis oblatum, qui est pascha nostrum pro nobis immolatum 1. Cor. v. 7. De hoc altari edimus, dum salutem ex cruce Christi accipimus, et de eius corpore et sanguine, pro nobis dato et effuso, participamus. Ergo cultus Christianorum nobis etiam supeditat vsum altaris & sacrificii, de quo edendi nullam habent potestatem, qui tabernaculo ministrant. Ratio est, quia per horum sacrificia, gratia et salus Christi, quem confiteri nolunt, abnegatur et reiicitur. Iis enim, qui tabernaculo addicti sunt, et per legis ceremonialis opera salutem quaerunt, Christus nihil prodest. Qui enim per propriam legalem iustitiam saluari cupiunt, nullam habere volunt partem in patientis Iesu morte expiatoria, nec possunt. Quantum distet Christi sacrificium, ab omnibus V. T. sacrificiis non percipiunt nec credunt. Hoc autem probat ex typica et mystica ratione sacrificiorum Leuiticorum v. 11. *Quorum enim animalium sanguis infertur pro peccato in sacrarium, per pontificem, eorum corpora exuruntur extra castra.* Quid sibi voluit hic typus a Deo ordinatus et Exod. XXIX. 14. Leu. XVI. 27. seq. Num. XIX. 3. praescriptus? Hoc nempe: Christi corpus, cuius sanguis in coelesti sanctuario ab ipso fuit oblatum, non inuenitur in tabernaculo, nec eius sacrificio frui possunt, qui cultui tabernaculi amplius adhaerebunt. Proinde deserenda est *σκηνή* tabernaculum et eius *λατρεία* cultus, a futuris Christianis, qui per Christum sanctificari cupiunt v. 12. *Quapropter et Iesus, vt sanctificaret populum per proprium sanguinem, passus est extra portam, v. 13. Exeamus igitur ad eum extra castra, probum eius portantes.*  
 Conclu-

Conclusio quae his verbis figuratis inest, sic se habet Christus non amplius in templo Hierosolymitano eiusque sacrificiis quaerendus est, sed huic tabernaculo, et his castris Iudaeorum tergum potius est obuertendum, h. e. cultus ceremonialis deferendus est, si ipse Christus inueniri et accipi debet. E castris igitur emigremus, i. e. cultum Iudaicum abiiciamus. Quamuis igitur ex vrbe Hierosolyma pro cultu sacrificiali zelante cum opprobrio expellamur, eodem tamen feramus animo, quo Christus, supplicio crucis affectus, eius spreuit infamiam, contumeliam seu improberium eius portantes. Vt hoc eo promptius fiat, instans vrbis et templi excidium cogitemus, non diu durabit atque persistet cultus Leviticus, breui penitus ruiturus. v. 14. *Non enim manentem hic habemus ciuitatem, sed futuram quaerimus.* Terrena Hierosolyma, nec alia vrbs *μὴ ὑστὴν manentem* nobis πόλιν ciuitatem praestat, sed alia supra-coelestis nobis quaerenda est, futuro tempore in promissione vitae aeternae nobis promissa. His praemissis antecedentibus ab Apostolo sequens denuo infertur conclusio: u. 15. *Ipsius causa ergo, offeramus hostiam laudis.* Cohaerentia conceptuum completa est, nec in ratiocinatione Pauli quicquam desiderari poterit.

## §. VIII.

Quia Christiani, a sacrificiis Iudaeorum auocandi, et ad spirituale laudis sacrificium, quod Christi causa, et ad eius honorem offerendum successit, inuitandi sunt, ideo Pauli adhortatio est: v. 15. *Δι' αὐτῆς ἐν ἀναφέρωμεν θυσίαν αἰνέσεως, ipsius causa ergo offeramus hostiam laudis.* Quaeritur, quomodo hoc loco vertendum sit *δι' αὐτῆς*? Plurimi reddunt, *per ipsum*, tanquam pontificem et mediatorem nostrum, sine quo nihil a nobis oblatum Deo gratum esse poterit; Alii autem, *secundum ipsius praeceptum* offeramus hostiam laudis. Vtramque expositionem, analogiae fidei non contrariam, existimo. Perpendenti autem mihi varias significationes praepositionis *δια*, et quod *δι' αὐτῆς* verti queat *eius causa*, ea huc maxime conuenire videtur. Nam Christus insinuat, ut causa impulsiva et finalis, ob quam sacrificium laudis Deo offerendum est. Tantum enim beneficium est Christus mundo donatus, peractumque ab eo sacrificium, ut ideo summa laus Deo debeatur, eius

ius

ius causa ergo sacrificium laudis continuo offeramus. Ne quis vero verba Pauli aliter accipiat, ac intelligi voluit, et sacrificium laudis V. T. cogitet, cum de N. T. sacrificio laudis loquatur, statim addit: id est, *fructum labiorum, confitentium nomini eius.*

## §. IX.

**M**ouetur quaestio, num Paulus respexit ad locum Hoseae vbi graeca LXX. versio, a fontibus discedens, sic se habet: Hof. XIV. 2. *λάβετε μεθ' ἑαυτῶν λόγους καὶ ἐπιγράψατε πρὸς κύριον τὸν Θεὸν ὑμῶν· εἶπατε αὐτῶ, ὅπως μὴ λάβητε ἀδικίαν, καὶ λάβητε ἀγαθὰ, καὶ ἀνταποδώσομεν καρπὸν χειλέων ὑμῶν.* Respondeo, multa extant loca quae sacrificium laudis in N. T. offerendum respiciunt Pl. L. 23. Pl. CXVI. 17. 18. et sacrificium laudis N. T. sic exponi potuit per *καρπὸν χειλέων*, vt Paulus, nec praecise Hoseae, nec Iesariae locum respiciat, sed sic oppositionem inter V. et N. T. sacrificium laudis exprimat. Plerique tamen existimant, *καρπὸν χειλέων*, respectum habere ad Hof. XIV. 3. פְּרִים שִׁפְתֵינוּ. Hoc vero mutatis punctis aliter legendum existimavit b. DÄNZIG in dissertationis corollario sic scribens. „Qui, per פְּרִים שִׁפְתֵינוּ Hof. XIV. 3. iuencos labiorum concipiunt, „nec genium linguae assequuntur, nec dignitatem seruant Noui Foederis. „Qui mutatis punctis fructum labiorum, utrique satisfaciet, coll. Hebr. XIII. 11. Huic uero erudite se opposuit Dn. IOH. CHRIST. WOLFIVS in disputatione super hunc locum de *iuencis labiorum*. In ea quidem ita statuit, quod Apostolus τὸς LXX. simpliciter secutus sit, quod alias quoque pro re nata facit, nec necesse putarit, versionem graecam quamuis ab Hebraico discrepantem emendare. In *Curis tamen Philologicis* Tom. III. p. 802. aliam amplectitur sententiam, et dicit: ad Hoseae locum Apostolum plane non respexisse, sed quod MAIVS etiam voluit, ad Ies. LVII. 31. vbi occurrit פְּרִים שִׁפְתֵינוּ *prouentus labiorum*. Fateor, examinato utroque loco, mihi posteriorem sententiam, apparuisse minus probabilem. Magis adstipulor sententiae, quae statuit, Hoseam respexisse ad infirmitatem sacrificiorum V. T. nisi confessio Messiae tanquam boni mediatoris, qui unicuique poenitenti et fidei Israelitae omnia remittet peccata, accedat, et nisi bonus sic vera fide accipiatur Dominus. Omnia itaque sacrificia pacificorum et laudis, omnes *iuenci פְּרִים* offerendi vsque post mortem Christi, vsque ad templa excidium habituri, perficiendi erant ab offerentibus per confessionem Messiae. Hoc vrget Hoseas in verbis, *perficiamus iuencos, labiis nostris*. Quamuis vero LXX. haec verba minus accurate translulerint, Paulus tamen fontes intelligens, versionem graecam citare, et inspectionem fontium commendare voluit, dum *fructum labiorem per confessionem nominis Christi* explicuit, quae ab Hosea, ad perficiendam hostiam laudis, requiritur. Si sublimiora haec nonnullis videntur, perpendant vltimum Hoseae caput de debita conuersione Iudaeorum ad salutarem Domini cognitionem in N. T. agere, et credant, mihi nihil magis curae cordique fuisse, quam vt ad veritatem prope accederem.

S. D. G.